

*salutē necessaria sunt. Quānā illa? Nam si de medijs loquūtur diuinitus institutis: nō sunt diuersa, neque ableganda in aliū ordinē. Euangelium ad salutem necessarium est: nempe quia est Dei potentia in salutē omni credenti. Male verò pereant, quādo prāter Deum salui esse appetunt.*

*Matth. 16. d. 27.*

*Artic. 81.*

*Annotatio, Iudicabitur vnusquisque secundum quod opera sua testata fuerint eum habuisse fidem.*

*Censura, Hæc annotatio nihil aliud dicens quā opera esse testimonia fidei, corrumpit textū, & planè Lutherana est.*

*Atqui tempore Augustini nondum natus erat Lutherus: tūc vero trita erat doctrina, Fidē instar radicis esse: bona opera, fructus inde nascentes. neque aliter Scriptura loquitur. Fides enim est secundum Paulum, quæ operatur per charitatem. Iacobus etiā quum dicit, Ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ex operibus ostendam tibi fidem meam: testimonia fidei esse bona opera innuit. Aliud volebant dici. Potuit quidem, sed parum tempestiue eo in loco. Ita vbique sui similes apparent.*